

RAYMUNDUS TELLERIA

S. ALFONSI ELECTI EPISCOPI
DEVOTA PEREGRINATIO AD LAURETANUM
B.M.V. SANCTUARIUM.

S. Alfonsus, episcopales infulas Romae an. 1762 suscepturus, pie aggressus est iter peregrinantium versus Almae Domus Sanctuarium Lauretanum ad oras adriaticas illa aetate veneratissimum. Huius alfonsianae peregrinationis habentur notitiae sat exsanguis, utpote nobis posteris in aedificationem mandatae a duobus itinerantis sociis, scilicet a Rev.mo P. Andrea Villani atque a famulo Dominico Janella, expeditionis rhedariò. Nequimus ac proinde nolumus narrationis tannoianae (1) lacunas artificiose complere, sed audemus fieri quodammodo peregrinorum comites, ut paululum apprehendamus aspectum externum seu « ambientem » personis rebusque connaturalem, in quo orta est peregrinatio atque ad felicem exitum perducta.

Hunc in finem adire curavimus fontes hucusque in hac minoris momenti quaestione inexploratos, quales iure censentur ex una parte Archivum Vaticanum eiusque sectio (*fondo*) cui nomen « Congregazione Lauretana »; ex alia vero Archivum ipsum Lauretanum, adnexum Sanctuario ac nuperrime ordine novo dispositum: quibus pro rerum opportunitate subiungimus alios quoque indices archivales.

I. - *Quaedam itineris alfonsiani antecedentia*

Saeculorum decursu devotio erga B.M.V. de Laureto nullatenus reliquerat indifferentes gentes neapolitanas, quas inter singulari veneratione colebantur tot ac tam dispares tituli mariales: his ergo ab anno 1628, sub impulsu PP. Teatinorum atque ex zelo proregis hispanici comitis de Peñaranda, adnumeratus mansit insignior in honorem B.M.V. Lauretanae, cuius ecclesia sic fuit exstructa ut intra eandem reproduceretur quoque Alma Domus nazarethana. Templum hoc patuit fidelibus prope viam Toledo, adversus collegium dominicanum S. Thomae Aquinatensis (2); unde vix

(1) [A. TANNOIA], *Della vita... del Ven. Servo di Dio Alfonso M. Liguori* II, Napoli 1800, 14-18 (lib. III c. 4).

(2) C. CELANO, *Delle Notizie di Napoli, Giornata quinta*, Napoli 1758, 8-9. - Avitam domum compellamus eam, quae in eadem via Toledo possidebatur a D. Domenico de

concipi potest quod nunquam visitaretur a S. Alfonso, cuius avita domus (omissis rationibus specialis devotionis) sistebatur in via Toledo, haud nimis procul a praedicta ecclesia.

Extra hanc coniecturam, etsi fundatam, reponimus indubium aliud epochae recentioris factum, quo palpare licet dissitum Sanctuarium Marchae Anconitanae devenisse quasi cordis magnetem pro quibusdam S. Alfonsi Fundatoris primis sodalibus. Postquam enim cum plerisque sociis a temporanea fundatione in Villa Liberi prope Caiatium (Caiazzo) diverterat ipse ad domum Iuranensem (Ciorani), perstitit an. 1738 Caiatii apud suos familiares P. Iulius Marocco, in vocatione sua vacillans: is, qua praeditus erat fortunae opibus ac de quassata sua valetudine anxius, peregrinationem versus Lauretum instituere voluit, annuente Rev.mo Thoma Falcoia, Congregationis externo direttore: quod ut rescivit, probavit quoque S. Alfonsus ac, factus in spiritu particeps itineris, commendavit sese amico peregrinanti: « Ho saputo che il Padre [Falcoia] t'ave accordato d'andare a Maria Santissima in Loreto. Mi rallegro: pregala per me, per li compagni e per l'Istituto, e vacci con confidenza grandè che o ti dia la salute, o la perfetta rassegnazione. Credo che anderai per l'Abbruzzo per sfuggire i luoghi di montagna. Non ci vuole altro. A rivederci subito dopo il viaggio » (3).

Nihil ergo mirandum quod S. Alfonsus, vixdum episcopali iugo collum obedienter submiserat, de peregrinatione lauretana coeperit cogitare, etiam inter angustias nondum prorsus sopitas suae promotionis ad metram Sanctagathensem. Die namque 13 aprilis eiusdem anni 1762 ex metropoli neapolitana communicabat abbati Ioanni Bruni (4), Em.mi card Spinelli pro studiis adiutori: « Oggi appunto ho ricevuto lettera dall'Em.mo nostro Sig.re card. Spinelli... Ho deliberato di partirmi fra giorni e portarmi a' piedi suoi in Velletri et ivi mi regolerò secondo il Sig.re Cardinale stimerà piu espediente: tanto piu che intendo coll' aiuto del Signore far anche il viaggio della Santa Casa di Loreto » (5).

Iuxta Rev.mi Nuntii neapolitani ac P.is Tannoia dierum computationem (6), e Neapoli profectus est S. Alfonsus die 19 aprilis, id est, feria secunda post dominicam in Albis. Suetis porro itineris stationibus properavit ad Veliternum (Velletri), salutaturus Em.mum card. Spinelli, quem tamen

Liguoro S. Alfonsi avo paterno (*Spic. hist.* 9 [1961] 103) et quae in familiae ditone mansit donec palatium venui datum fuit a D. Iosepho de Liguoro, S. Alfonsi nepote.

(3) *Lettere di S. ALFONSO*, I, 70. - S. Alfonsi allusio ad viam « per l'Abbruzzo » intelligitur, quia tunc temporis per hanc viam, etsi difficilem, exercebatur commercium usque ad littus Adriaticum. Cfr G.M. GALANTI, *Nuova descrizione delle Sicilie*, III, Napoli 1789, 104: *Strada di Abruzzo*. Caiatium haud nimis distat a Capua, per quam citata via transibat; ex littore adriatico neapolitano reddebatur facilior progressus per Statum Pontificium usque ad Lauretum.

(4) De Abbate Ioanne Bruni cfr notam 1 ad doc. 5, supra p. 276.

(5) Hanc epistolam primus edidit P. Gregorio in *S. Alfonso*, 4 (1933) 262. Illius adsignatarius erat, nostra opinione, abbas Bruni, quem an. 1764 marchio Tanucci dicit « essere stato ajutante di studio del card. Spinelli ».

(6) « 17 aprile 1762. Lunedì prossimo il Padre de' Liguori, eletto Vescovo di S. Agata, partirà alla volta di Velletri per vedere il Sig. card. Spinelli, con cui si tratterà qualche giorno, ed in appresso si porterà a Roma ». - Arch. Vaticano. Napoli, v. 415 (sine fol.).

non nisi Tribus Tabernis (Cisterna) obvium ac collocutorem habuit: inde tandem versus Romam cum sociis (7) festinavit, ut se coram Clemente XIII prosterneret, in spem adhuc allectus consequendi a Christi Vicario gratiam « liberatricem », scilicet quod calicem episcopatus Sanctagathensis in alias manus transmitteret. Sed heu! aberat ab Alma Urbe Summus Pontifex, qui die 26 eiusdem mensis (8) auras maris tyrrheni in Civitavecchia exquisivit, ut paucos ibidem dies quietis et vacationum ageret.

Hospes in Urbe inter Pios Operarios ad B.M.V. « dei Monti » (9), S. Alfonsus statim cernitur circumsessus gratulationibus amicorum, quos inter accensentur primi: Em.mus card. Dominicus Orsini (10), Rev.mus Dominicus Giordani neapolitanus, Vicemgerens Urbis (11), Em.mus card. Antonius Galli ex canonicis regularibus SS. Salvatoris aliique plurimi Praelati, potissimum neapolitani, quibus adnectendus est Rev.mus P. Laurentius Ricci S.I. prae-positus generalis. Absque dubio in his colloquiis mixtum fuit nomen Sanctuarii Lauretani ac propositum peregrinationis, quam S. Alfonsus exsequi decreverat, posthabitis P.is Villani timoribus de itineris fatigatione. Certo certius S. Alfonso peregrinatio oblata sunt ab his amicis consilia, commendatitiae litterae aliaque id generis ad excursionem opportuna vel necessaria. Nec dedebant haec adminicula electum Praesulem, qui mense superiore e Neapoli in Casertam noluit proficisci quin prius per fratrem suum D. Herculem

(7) Biographus Tannoia solummodo enumerat socios supra in textu citatos. Attamen in processibus Congregationis Consistorialis, praeter P.em Villani, interveniunt testes D. Fabritius Martinisi et Franciscus Paulus Puoti. Prior erat canonicus collegiatae S. Andree Argentii (Arienza), seque Romam transtulit cum repraesentatione dioecesis; alter, ob natales suos civis quoque Argentii, Romae a decennio et amplius morabatur. Quibus addendus est canonicus D. Hieronymus Carfora. De utroque enim canonico constat Romae et Laureti convenisse cum S. Alfonso, sed testes suadere videntur illos peregrisse itinera seorsim ab episcopo. - Cfr *Processus Ordinarius S. Agathae*, I, f. 307, 411; II, 756.

(8) « Parti Nostro Signore lunedì mattina 26 dello scorso aprile circa le ore 10 e mezza per Civitavecchia ». - *Diario Ordinario*, Chracas, 1762, n. 6993, p. 23.

(9) Juxta P.is Tannoia relationem Pii Operarii exierunt uniter ad ostium conventus, ut S. Alfonso advenienti fierent obvii, prae primis P. Franciscus Longobardi novo Praesuli acceptissimus. Ex Libro Consultationum eruimus communitatem, utique neapolitanam, constare eo tempore decem aut duodecim religiosis sub moderamine P.is Michaëlis Massetti, dum P. Longobardi praeerat casibus theologiae moralis ac horto colendo. - Biblioteca Nazionale-Roma, Fondi Minori, Varia, M.S. 808/219. S. Maria ai Monti. Libro delli decreti della Consulta, 1761-1763.

(10) Abs re esset commentari diuturnam card. Orsini eiusque familiae amicitiam cum S. Alfonso et cum ipsius familia sive patritia sive religiosa. Per transennam, quia minus notum, animadvertimus cardinalem Orsini, a plurimis annis viduum, nondum illis diebus ad sacros ordines pervenisse. Solummodo post quinquennium eidem rescribit marchio Tanucci: « 1 dic. 1767. Il Re lascia che V.E. non solamente si metta in sacris, come ha risoluto di fare, assicurata che è stata col secondo maschio la conservazione della rigardevole Famiglia, ma ancora che ne scriva al Re cattolico ». Et rursus: « 16 genn. 1768. Io mi guardo dall'interloquire in proprio sugli Ordini Sacri, che V.E. ha risoluti ». - Arch. di Stato-Napoli. Casa Reale, Arch. Borbone, Copialettere di B. Tanucci, v. 13, f. 232v.-v. 14, f. 17v.

(11) Praelatus hic, mox ex officio assistens consecrationi episcopali S. Alfonsi, natus erat in Monte S. Angelo atque an. 1749 evecus ad sedem Theanensem (Teano), deinde an. 1755 factus archiepiscopus Nicomediensis. Arch. Vat., Proc. Consist., an. 1749, v. 137, f. 474-485: Theanen. Eccl.; an. 1755, v. 145, f. 429-437: Eccl. Nicomediens. - In hoc secundo processu examinatur testis R.P. Vincentium Mannarini, « presbyter neapolitanus, Cong.nis SS.mi Sacramenti Superior, aetatis suae annorum 55 ». Agitur de antiquo S. Alfonsi consodali.

sibi redderet securam pernoctationem apud PP. carmelitas casertanos (12). A fortiori itaque suadebatur ut pro itineris securitate et pro hospitali Laureti commoratione praeaderentur cautela, quibus obviare opus erat ante discessum ab Urbe.

Enimvero mens et consilium et auctoritas suprema dissiti Sanctuarii Lauretani considerabat in Alma Urbe apud sic dictam Congregationem Lauretanam et Avenionensem. Ex quo namque Innocentius XII die 10 augusti an. 1698 per Constitutionem « Sacrosancta Redemptionis » creavit specialem S.R.E. cardinalium Congregationem nuncupandam Lauretanam, huic adtribuit, in Sanctam Domum eiusque territorium omnem et quamcumque iurisdictionem, tam ecclesiasticam et spiritualem ac quasi episcopalem quam saecularem sive laicalem: sic tamen, ut praefata Congregatio uteretur episcopo Lauretano tanquam Sedis Apostolicae delegato in negotiis spiritualibus, quae ad ecclesiae cultum, chori servitium, divinorum celebrationem, animarum curam, sacramentorum administrationem morumque correctionem pertinerent: uteretur autem Governatore, a Sede Apostolica delegando, in iis quae S. Cappellae temporalem administrationem necnon dictae civitatis eiusque districtus gubernium saeculare concernerent (13).

Hoc strictae dependentiae regimen plene vigeabat triennio 1760-1762, in quo a Commissione Cardinalitia tractantur non solum quaestiones maioris momenti, quales confessoriorum agendi ratio vel canonicorum tabella horaria, verum etiam aliae minoris ponderis, v. gr. musicorum cantorumve placita (14) aut coqui emeriti compensatio (15). Idcirco, anno superiore ante S. Alfonsi iter romanum, inter Congregationis membra cooptati erant card. Carolus Rezzonico, Clementis XIII nepos et S. Alfonso valde acceptus, necnon card. Ioannes Constantius Caracciolo neapolitanus atque card. Ludovicus Mellini (16): quibus inerat cura moderandi Congregationem sub ductu supre-

(12) *Lettere di S.A.*, I, 470. « Vorrei stare quella sera nel convento de' Carmelitati. Onde vi prego di parlare, o pure di mandare il portiero della Piazza [*Portae Novae*] al priore del Carmine, accioché mi procurasse il comodo di potere stare una sera in quel convento ».

(13) Cfr *Bullarium Romanum*, IX, Romae 1734, 479-482.

(14) Musici exquisierant licentiam faciendi repraesentationes sacras (*due opere sacre*) tempore bacchanalium, sed habuerunt negativum responsum Congregationis romanae. Arch. Vat., Cong. Lauretana, Positiones, an. 1762, Int. 83. - Similiter cantores S. Cappellae meruerunt hanc informationem Rev.mi Bacchetoni, die 18 ian. an. 1760 e Laureto remissam Em.mis cardinalibus: « Vorrebbero sgravarsi di cantar tutti la Messa Votiva... Godono in d° servizio l'alternativa (id est, alternatis diebus intererant) ed in ciò sono di miglior condizione dei medesimi corali: e chi ottiene licenza per andare a recitare nei teatri, e chi si permette di portarsi alle musiche di questi contorni, e talvolta l'istesso Maestro di Cappella accorda qualche vacanza per poter lucrar sempre più... Sebbene i musici siano in numero di sedici, ve ne sono degli avanzati nell'età...: onde si diasi di più che tal' uno si raffreddi o cada in altra malattia, verrebbe sempre dalla grazia che chiedesi a restar pregiudizio al Santuario ». Ibid. Positiones, an. 1760, Int. 10.

(15) « Avendo supplicato Francesco Tommasini..., deputato cuoco della Foresteria del Santuario, che da due anni a questa parte ha esercitato con piena soddisfazione di tutti. Quindi la med° S. Congregazione, attesa la buona informazione di Mons.r Governatore, si è benignamente degnata di concedergli la richiesta grazia. Dato in Roma 26 maggio 1762... Card. Torriggiani ». - Arch. Santa Casa-Loreto. Registro di Lettere Apostoliche (1719-1763), f. 200.

(16) « 12 maggio 1761. Essendo piaciuto alla Santità di N.S. di dar luogo nella Con-

mo card. Aloysii Torrigiani secretarii Status, cum immediata autem vigilantia Rev.mi D. Lanfranci Mattei, sub-Datarii et Congregationis Lauretanae secretarii. Vir iste eximius, patria neapolitanus, anno praecedenti perfecerat in Sanctuario Lauretano accuratam visitationem, cuius exstat in Archivio Vaticano documentatio locuples (17). Utrum inter ipsum et S. Alfonsum venerit nexus amicitiae aut strictioris rationis (18), nondum definire valuimus.

2. - *S. Alfonsi peregrinatio ad Sanctuarium Lauretanum atque in eo triduana commoratio.*

Distantiam, quae inter Romam et Lauretum cedit, dimetiebantur olim Postarum vectores ex 172 italicis milliis (*miglia*) (19), nunc vero computant viae ferratae indices ex 322 kilometris. Quattuor ergo dies completos agebat in itinere viator romanus, qui non nisi die quinta ante prandium ingrediebatur per Portam Romanam splendidum Sanctuarii forum, tunc a decennio

gregazione di Loreto e d'Avignone ai Sig.ri card.li Rezzonico, Merlini e Caracciolo... ». - Arch. Vat., C. Lauretana, Positiones, an. 1761, Int. 26.

(17) Ibid., l. cit. an. 1761, Int. 59: Visita fatta da Mons. Mattei in Loreto. Accurateae Rev.mi Visitatoris « ordinationes » respiciunt praesertim Archivum, Cancellariam, Computariam, et sic porro.

(18) Alludimus ad rationem affinitatis, qua immisum fuit in familia S. Alfonsi cognomen Mattei. Enimvero Hyacinthus et Dominicus del Balzo Mattei, ex baronibus de Presenzaano, matrimonio coniuncti sunt respective: Hyacinthus cum D. Hieronyma de Liguoro, S. Alfonsi amita (*Spic. hist.* 9 [1961] 90), Dominicus cum D. Teresia de Liguoro, S. Alfonsi sorore. Horum vero cum Rev.mo Lanfranco Mattei neapolitano propinquitatem nondum comprobavimus.

(19) Ecce duplex curiosa itinerarii tabella iuxta descriptionem coevam:

Da Loreto a Roma: a miglia italiane.

Viaggio da Roma in Polonia per la strada del Tirolo

Loreto città	
Recanati città	m. 5
Sambucheto	m. 5
Macerata città	m. 7
Tolentino città	m. 10
Valcimara osteria	m. 7
Ponte della Trave	m. 7
Muccia Castello	m. 7
Seravalle borgo	m. 7
Case Nove osteria	m. 9
Foligno città	m. 10
Le Vene	m. 9
Spoleto città	m. 9
Strettura osteria	m. 9
Terni città	m. 9
Narni città	m. 7
Otricoli	m. 10
Borghetto	m. 7
Civita Castellana	m. 5
Rignano	m. 8
Castelnuovo castello	m. 7
Malborghetto	m. 7
Prima Porta osteria	m. 4
Roma	m. 8

Roma
Prima Porta
Castelnuovo
Regnano a pranzo
Civita Castellana la sera
Borghetto
Otricoli
Narni a pranzo
Terni la sera
Strettura
Spoleto a pranzo
Foligno la sera
Case Nuove
Seravalle a pranzo
Muccia
Ponte della Trave la sera
Valcimara
Tolentino a pranzo
Macerata la sera
Loreto a pranzo

(Arch. Vaticano. Nunziatura di Varsavia, vol. I, Memorie di Mgr. Marescotti, f. 21: Viaggio da Roma in Polonia per la strada del Tirolo, Vienna, etc.). Itinerarium confecit Rev.mus Marescotti in commodum sui successoris Rev.mi Nerli.

miglia 172

(A. LUCIDI, *Notizie della Santa Casa, Loreto* 1775, 93).

ornatum novo campanili Vanvitelliano ac valde speciosa podiorum (*loggie*) serie (20). Kalendarium viatorum nostra interest quatenus chronologia peregrinationis alfonsianae nititur his dumtaxat P. is Tannoiae indicationibus: quod S. Alfonsus Romae fuit redux die 8 mensis maii versus vesperam et quod Laureti tres dies ipse substitit.

Hoc sane triduo, iuxta potissimum peregrinationis suae scopum, S. Alfonsus lentas horas vacavit « extaticus », ait P. Tannoia, mysterio divinae Incarnationis ponderando intra cubiculum, « ubi primum gloriosa Dei Genitrix ac semper virgo Maria, quasi aurora consurgens praeclara Nativitate sua gaudium annuntiavit universo mundo ac ubi Unigenitum Dei Filium S. Spiritus obumbratione concepit », prout nos docet Innocentius XII in supra citata Constitutione. Ardentis devotionis culmen mirati sunt adstantes, dum S. Alfonsus quotidie sacrum obtulit in altari privilegiato coram prodigiosa B.M.V. Icone (21), aut dum ipse, dimissis itineris sociis, abiit in angulum magis secretum post focum (*dietro il focolajo*), quo liberius et ferventius orationi instaret.

Quibus peractis ac prolongatis, fieri non potuit quin humanos etiam contactus extra basilicam exsereret, praeter eos qui sub aspectu caritatis erga egenos et ad aedificationem narrantur a biographis. Equidem, si nimis adhaereas narrationi tannoianae ad litteram sumptae, crederes triduo temporis intervallo S. Alfonso vixisse quasi ex incognito, suae novae dignitatis fere nescium inter publici diversorii (*locanda*) clientes (22). E contrario existimamus neoelectum Praesulem Sanctagathensem invenisse habitationem dignam, etsi modestam, in quadam amplissimi Palatii Apostolici contignatione aut in eiusdem palatii hospicio (*foresteria*) reservato alendis ac recipiendis sacerdotibus peregrinis, et a fortiori hospitandis episcopis titularibus vel residentialibus. Sin aliter S. Alfonso contigisset, id aegre tulissent ac nullo pacto permisissent viri eximii (*vari personaggi*), qui teste ipso P. Tannoia

(20) Sumptus ingentes, pro utriusque fabricationis mole necessarii, vim tardatricem exercebant in novo nosocomio struendo cum peregrinatus est S. Alfonsus, referente Rev. mo governatore D. Ioanne Potenziani die 13 aprilis an. 1761: « Circa la maniera ed il danaro da impiegarsi nella proposta nuova fabrica dell'Ospitale, mi dò l'onore di accludere un foglio della Computistaria, a cui rileverà... che prima di assumere le due Fabriche delle Loggie e Campanile, per le quali è stata impiegata la cospicua somma di scudi 84.710 nell'anno 1749 ». - Arch. Vaticano. C. Lauretana, Positiones, an. 1761, Int. 7.

(21) Circa missarum intentiones vigeat, theoretice saltem, lex severissima, qua iuxta decreta pontificia easdem tradere opus erat « in mano dei custodi dello stesso Santuario »: attamen « si ricevono senza menomo scrupolo le limosine delle Messe, non solamente da questi religiosi dimoranti negli Ospizij, ma eziandio da questi PP. Penitenzieri ». Ibidem, Positiones, an. 1761, Int. 68. - Quin etiam: missarum celebratio prohibita erat in sacellis privatis seu internis religiosorum: unde criminatur « il P. Guardiano di questo Ospizio di S. Benigno [*perché*] si sia fatto lecito in tempo di Fiera ed in altri tempi di fare celebrare messa nel di lui Oratorio... ». Subditur ratio prohibitionis: « Ciò è dannoso a questo Santuario, in cui per non levare il concorso e per conseguenza l'elemosine, si devono celebrare tutte le messe ». Ibidem, an. 1762, Int. 72.

(22) Vocabulum « locanda » respuebat tunc temporis significationem recentiore diversorii humilioris et pauperioris (G. CAPPUCINI, *Vocabolario*, Torino 1921, 805). « *Locanda*. Albergo in cui si ricevono ed alloggiano per denaro i forestieri ». RIGUTINI-FANFANI, *Vocabolario*, Firenze 1893, 707. - Cfr etiam N. TOMMASEO, *Dizionario*, n. 278-284. - Ceteroquin ipsemet P. Tannoia memorat S. Alfonso in « locanda » famulatum fuisse per eiusdem servum sive domesticum (*cameriere*).

sollicite accurrerunt, ut tanto patritio neapolitano ac tam praeclaro theologiae moralis cultori deferrent obsequia venerationis et congratulationis. In eorum namque numero reponimus nonnullos insignes canonicos, ex 22 capitularibus choro addictis; item quosdam regulares, ex variis hospitii ad ordines religiosos pertinentibus (23).

Pressiori honore atque speciali familiaritate circumcinctus expresse fertur S. Alfonsus a PP. Societatis Iesu, qui in Palatio Apostolico constituebant poenitentiariorum Collegium sub immediato proprii rectoris moderamine. Reapse tannoianus textus mentionem unius iesuitae facit, sed intelligendus est de principali duce seu « cicerone »: « Caricollo specialmente di mille finenze il P. Gesuita, che faceva da penitenziere in quella Chiesa. Assistevalo di continuo e feceli osservare ogni rarità che vi era nel Tesoro ». Thesaurus quidem perdignus admiratione promebatur, utpote redundans pretiosis muneribus, quae saeculorum tractu ex universo orbe christiano in Almam Domum pervenerant et quae tunc temporis opplebant viginti quinque armariola seu repositoria (*credenzini*) (24), postmodum, id est, ante reipublicae gallicae rapaces incursiones, multiplicanda usque ad 67 repositoria (25).

Quisnam fuerit poenitentiarius hic ignatianus, quo comite S. Alfonsus Thesauri aulas percurrit ac sine dubio Collegium Illyricum visitavit, coniectare aegre possumus. Errat sane biographus coaevus, dum supponere videtur unicum fuisse Laureti poenitentiarium iesuitam: ex opposito convivebant ad instar communitatis 18 religiosi ex officio poenitentiarii, quos die 4 iunii eiusdem anni loci Ordinarius vel Gubernator (26) accurate distinguit ab aliis regularibus simpliciter (*semplici*) confessariis: poenitentiarii namque ignatiani, ex sodalibus italis et « ultramontanis » delecti, munere suo fungebantur adstricti tabella horaria canonicorum, ita ut nec prius nec posterius ad confessionale adeundum atque in eo substandum tenerentur quam chorales ad officium in choro recitandum, postposita heu! animarum qualibet necessitate; confessarii autem simplices, ex hospitii regularium prodeuntes, non

(23) [Il Capitolo si compone di] 4 dignità..., 22 canonici..., 14 beneficiati e chierici beneficiati... Non è altra chiesa parrocchiale che le cattedrale, otto ospizj di religiosi... ». - Arch. Vaticano. Proc. Datariae, an. 1767, v. 144, f. 141: Eccl^s Recanaten. et Lauretana.

(24) A. LUCIDI, *Notizie della Santa Casa*, Loreto 1775, 71-92.

(25) V. MURRI, *Dissertazione sulla identità della Santa Casa*, Loreto 1791, 169-207.

(26) Documentum non subscriptum incipit: « Casa »: quod privativum erat Episcopi vel Gubernatoris. Et prosequitur: « 4 giugno 1762. Memoria per Mons. Ill.mo e R.mo Mattei, Seg.rio della S. Congregazione Lauretana. Due ordini di confessori vi sono in S. Casa: Penitenzieri e confessori semplici. I Penitenzieri sono 18 in tutti, tra italiani e lingue ultramontane: e questi vengono in confessionario quando li Sig.ri Corali vanno in Coro, cioè adesso che suona il matutino alle 9½, essi vengono in confessionario alle ore 10, e vi restano fino doppio nona, se vi è popolo; finita nona poi, ò vi sia popolo ò non vi sia, tanto se ne vanno, credendo che così siano le loro costituzioni. - L'altro ordine de' confessori semplici, questi non hanno termine alcuno, cioè vengono quando gli pare e piace; e questi che potrebbero venire a buon ora, cioè a ora propria di venire in confessionario, non vengono che tre religiosi: uno il P. Allaleoni agostiniano, il P. Saverio M.O. zoccolante, ed il P. Sottopriore degl' agostiniani scalzi, ma questo va più tardi delli sud.i due; e li sud.i si pongono a buon ora e vi stanno fino a terza: talmente che se non fossero questi due, sarebbe uno stridore. Ma cosa ha da fare due soli, quando vi è gran concorso, ed il maggior popolo è alla mattina a buon ora. » - Arch. Vaticano. C. Lauretana, Positiones, an. 1762, Int. 89.

nisi lege caritatis ad sacramentum reconciliationis ministrandum adigebantur. Hinc oriebantur querelae et lamentationes (27), quarum fundamentum obversabatur ante oculos cuiusvis peregrini, praesertim si agebatur de peregrino missionario S. Alfonso, cuius opinione et zelo anteponendi erant animarum clamores recitationibus choralibus plus minusve mechanicis (28).

Interea pro biennio 1761-1762 ecce poenitentiarii S.I. elenchus, simul cum die, mense et anno, quibus Laureti exercitium huius ministerii inchoarunt.

- | | |
|--|--|
| I. - <i>Poenitentiarii pro itala lingua.</i> | II. - <i>Poenitentiarii pro linguis exteris (29).</i> |
| P. SANTONI Mattheus, rector; 14 oct. 1761 | P. L'HOMME Antonius, gallus; 13 ian. 1758 |
| P. FIANDO Hyacinthus; 22 aug. 1728 | P. LANCASTER Iacobus, anglus; 12 dec. 1752 |
| P. TOSI Ioannes Bapt.; 26 maii 1738 | P. GOESENS Petrus, belga; 10 april. 1756 |
| P. CAPORIACO Ioannes Fr.; 20 maii 1744 | P. KRAJACICH Ios., illyricus; 27 maii 1757 |
| P. SAVINI Innocentius; 22 oct. 1749 | P. CARDELL Hermannus, bohemus; 30 maii 1759 |
| P. CAMPIONI Ios. M.; 19 martii 1755 | P. PRZYLUCKI Ios., polonus; 17 feb. 1760 |
| P. VENTURI Ant.; 19 iul. 1755 | P. D'ANDRIA Ignatius, graecus; 23 iul. 1760 |
| P. CRISPOLTI Ioann.; 19 nov. 1756 | P. VILLALBA Emmanuel, hispanus; 19 dec. 1761 |
| P. MINOZZI Felix; 19 ian. 1757 | Quibus addendus superest P. NOVELLUCCI Ios. M. tanquam operarius (30). |
| P. GIROLAMO Paulus; 18 dec. 1758 | |
| P. PACCARONI Septimius; 29 nov. 1761 | |

(27) Pergit documentum in nota praecedenti citatum: « Il suo rimedio ci sarebbe, ma nessuno se lo piglia a petto... V'assicuro: vanno [*confessarii simplices*] più presto a spasso e tutto il giorno oziosi, che voler confessare; essi dicono che la S. Casa, fuor della Messa, non gli fa alcuna ricognizione... Alle volte nei concorsi grossi, quanti ve ne sono [*pellegrini*] che ritornano via senza confessarsi... Un altro sconcerto poi vi è che li PP. Gesuiti Penitenzieri hanno le vacanze come li Corali, e queste cadono appunto nelli maggiori concorsi, cioè nel Passaggio d'Assisi e nel mese di settembre: ed allora di 18 Penitenzieri, non ne calano altro che nove, e tra questi nove, sempre ve n'è qualcuno ammalato: sicché si riducono a pochi confessori. Gl'altri semplici non vogliono o non sono capaci alla confessione..., e li poveri confluenti [*pellegrini*] ne stanno di mezzo, e con ragione il Santuario non ha poi le limosine ».

(28) « Ma i Signori canonici, quando è tempo di confessare, se ne vanno in coro a dire l'ufficio, quando io ho già dispensato a' confessori la puntata in giorno di festa, per quanto assistono in confessionale... Prego per le viscere di Gesù Cristo e per amore di Maria SS.ma tutti i Signori confessori canonici ad assistere, nelle feste, al confessionario ». - *Lettere di S.A.*, III, 58r-582. Monitum precesque subscripsit zelans Antistes post biennium a suo in Sanctagatham adventu.

(29) Inter « resolutiones » pro confessionum regimine cautum erat ab anno 1749: « Titolo, dinotante la lingua di ciascun Penitenziere, deve star amovibile da uno all'altro confessionale in ogni occorrenza: 20 agosto 1749 ». - Arch. Santa Casa-Loreto. Indice di Lettere, Risoluzioni, etc., f. 204.

(30) Arch. Romano SI. Rom. 108, 18v. - Elenchus nobis remissus est a R. P. Ignatio Iparraguirre SI., cui grates ex corde persolvimus.

Praeunte hoc indice nominativo fas esset procedere ad tentamen identificationis, saltem probabilis, eximii poenitentiarum cuius benevolentia et scientia usus est S. Alfonsus in sua Lauretana commoratione. Si accensendus est ille inter poenitentiarum italos, fatemur nullum ex ipsis esse hucusque a nobis praecognitum quasi S. Antistitis amicum. Hac de causa coniecturam suam olim inclinarunt nonnulli versus P. em Cardell bohemum, etsi pro lingua germanica poenitentiarum. Huius namque cognominis insignem iesuitam advocaverat an. 1754 ex Bohemia Neapolim rex Carolus, ut cum regina Maria Amalia principem heredem eiusque sorores edoceret linguam germanicam. Iuxta citatam opinionem, abeunte post quinquennium rege Carolo in Hispaniam atque depulsa ex tunc a regio palatio neapolitano qualibet interpositione ignatiana, in Domum Lauretanam se recepisset P. Cardell, semper memor amicorum neapolitanorum ac prae primis S. Alfonsi, cuius nove rat fidelitatem erga Societatem Iesu et epistolare commercium cum eiusdem Praeposito Generali. Attamen coniectura haec eliditur ac plane diluitur recenti indagine, quae nos reddit certiores de duobus, immo de quattuor iesuitis bohemis PP. bus Cardell, professione et probabiliter etiam sanguine fratribus. Horum natu maior P. Franciscus, postquam biennio 1752-1753 egit Laureti poenitentiarum ac domus ministrum, mox ab an. 1754 usque ad an. 1759 Naepoli vixit tanquam « instructor principis », deinceps morari ibidem perrexit « ab obsequiis Serenissimi Regis utriusque Siciliae », donec an. 1767 submersus est vortice suppressionis indictae contra militiam ignatianam (31). Tertius autem frater, nomine P. Hermannus Cardell, ab an. 1759 versabatur Laureti, ubi an. 1761 obibat munia ministri Collegii itemque poenitentiarum pro lingua germanica. Si huic ergo quispiam adhuc cedat manductionem amicalem in beneficium S. Alfonsi peregrini, id satius explicabit ex interventu, puta epistolam commendatitiam, fratris sui Francisci Neapoli remanentis.

Quibusdam interdum sciscitantibus cur S. Alfonso defecerit in praefato Collegio cubiculum quo hospitaretur, respondebimus PP. poenitentiarum

(31) Ibid., Boh. 92 II f. 569v pro an. 1759, f. 581 pro an. 1760.

P. Franciscus Cardell, natus Pragae 12 XI 1717, ingressus 9 X 1733, professus 2 II 1751.

P. Carolus Cardell, natus Pragae 2 XI 1719, ingr. 9 X 1735, prof. 2 II 1753. † 1757.

P. Hermannus Cardell, natus Pragae 27 VII 1722, ingr. 20 X 1738, prof. 2 II 1756.

P. Ioannes Cardell, natus Pragae I V 1725, ingr. 20 X 1735, prof. 2 II 1753.

Has notitias nobiscum communicavit P. Ios. Teschitel S.I., cui similiter maximas gratias agimus. Ex parte nostra subiungimus super P. Francesco Cardell: « Fu chiamato da Boemia [anno 1754] un altro gesuita, P. Francesco Cardell, con l'annuo soldo di 500 ducati, oltre l'uso del cocchio e le spese di viaggio per lui e pel fratello suo compagno, servidore e cuoco ». M. SCHIPA, *Carlo Borbone II*, Napoli 1923, II. - De illius profectio occupatur Nuntius neapolitanus an. 1767: « 12 maggio 1767. Staremò a vedere quanto continuerà a frequentare la Corte il Padre Cardell gesuita, stato precettore del Re, che finora gli usa le stesse accoglienze e regali ». Item post quinque menses: « 28 novembre 1767. Mons. Latilla [*benedictinus, novus regis confessarius*] ha avuto una pensione di 40 ducati il mese, ed è quella riformata al P. Cardell gesuita, che è partito colla ritenzione di 20 ducati di assegnamento ». Arch. Vaticano, Napoli v. 289, f. 213; v. 290, f. 232v. Eadem mensis novembris hebdomada contigerat inhumana ac proditrix expulsio Societatis Iesu ex ditione neapolitana. - (Vide *Addendum* in fine articuli).

convixisse in Palatio Apostolico quasi hospites pretio conductos et mensa communi cibatos: quare non proprio arbitrio in multis gubernari, sed lege severa Administrationis Almae Domus (32). Cuius severitatis casus mirandus contigit fere sub S. Alfonsi oculos. Etenim P. Hyacinthus Fiando, de quo supra in elencho fit mentio, compleverat illis diebus aetatis suae annos 74, servitii autem continui in confessionali apud Sanctuarium annos 34: qua de causa Superior Provincialis romanus, ne amplius obrueret Collegium nimis debitis iam oneratum, expostulavit a Congregationis Lauretanae card. Praefecto ut seniori benemerito locus supranumerarius in Collegio adsignaretur, translato in Administrationem onere alendi ex-poenitentiarium usque ad mortem eumque modesta elemosyna annuatim recreandi. Utrumque postulatum voto suo reiecit die 10 mensis maii eiusdem anni 1762 gubernator D. Ioannes Potenziani, veritus ne postmodum invocaretur ab aliis simile exemplum quasi ius « ad iubilationem » seu pensionem percipiendam pro annis ibidem impensis in sacro poenitentiae tribunali (33). Quae restrictiva agendi ratio fortasse diluit poenitentiariorum parsimoniam coevam, immo et negligentiam in munere suo obeundo: modo criminationes, a nobis supra in notis collectae, nitantur veritate obiectiva, minime autem subdola aversione, quae contra Institutum ignatianum serpere coeperat ubique, etiam Laureti in contiguum Illyricum Collegium.

Equidem, qua S. Alfonsus ferebatur caritate erga infideles atque schismaticos et quatenus Laureti fruitus est intimitate PP. Societatis Iesu, fieri non potuit quin accederet etiam ad Collegium Illyricum, ubi moderatore P. Carolo Petrucci cohabitabant die 4 ianuarii an. 1761 alumni 22, quorum 3 vacabant theologiae, 13 philosophiae, caeteri humanioribus litteris aut grammaticae. Clausus igitur scholarium numerus, quandoquidem vi Constitutionis ab Urbano VIII promulgatae enutriebantur in Collegio sumptibus Almae Domus 21 candidati ex ecclesiis illyricis delecti, quibus alius addebatur ex quasi beneficio episcopi Rev.mi Uladagni. Initio porro an. 1762 non nisi 19 alumni recensentur, quia — nos docet P. Petrucci — « desiderantur alumni 2, nondum missi a suis episcopis » (34). Attamen simul irrepserat animo-

(32) Ora prandentium et potantium in Collegio strictim computabantur: « Collegio de' Penitenzieri gesuiti. Risoluzione al numero di bocche 36 ». - Arch. Santa Casa-Loreto. Indice di Lettere, Risoluzioni, etc., f. 204 ss.

(33) Ecce memorialis summa capita: « Il Prov.le Romano della Compagnia di Gesù... espone che ritrovandosi in Loreto il P. Giacinto Fiando, penitenziere della Santa Casa, d'anni 74 di età, e 34 di servizio continuo, indebolito nella vista e nell'udito, impotente ad essere trasferito altrove... supplica per la grazia di poterlo mantenere in soprannumerario... Ma trovandosi di punto quel Collegio della Penitenziaria aggravato di debiti, massime per i lunghi viatici degl'oltramontani PP., e frequenti, e la Provincia tutta gravatissima da straordinarie spese, come è noto a V.E. [*cardinali Praefecto*], supplica... che il sud^o P. Fiando vi resti alimentato dalla S. Casa coll'aggiunta, fino che viva, di qualche limosina annuale, o almeno temporaria in denaro o in roba... ». Quibus D. Ioannes Potenziani, diluta exceptione olim a Benedicto XIV facta in beneficium poenitentiarum P. Dominici Peralta, respuit novam exceptionem: « Una seconda grazia porebbe per dir così una specie di diritto questa Penitenziaria di avere in ogni tempo de' giubilati con aggravio di questo Santuario ». - Arch. Vaticano. C. Lauretana, Positiones an. 1762, Int. 22.

(34) Ibid., Positiones, anno 1760, Int. 14; anno 1761, Int. 2, Int. 66; anno 1762, Int. 11.

rum inquietudo, de qua forsitan certior devenit S. Alfonsus: inde orta, quod a S. Congregatione de Propaganda Fide agitabantur desuetae reclamationes circa Illyrici Collegii regimen easque fulcire praesumebat ipsamet Congregatio effodiendo documenta antiqua Societati Iesu parum favorabilia (35).

Extra hunc ignatianum ambitum navabant pariter operam ministeriis apostolicis exercendis supra citati regulares tanquam Almae Domus simplices confessarii, in propriis civitatis hospitii commorantes. De Augustinianis calceatis et discalceatis ac de Fratibus Minoribus Observantibus (*zoccolanti*) necnon de Minimis (*paolotti*) die 4 iunii eiusdem anni facit verba haud nimis laudativa loci Ordinarius vel Gubernator (36). In his tamen non immoramur, quoniam nescimus utrum S. Alfonsus accesserit necne ad regularium hospitia aut a quibusdam eorum fuerit singulatim obsequiali gratulatione prosequutus.

Superest ut animum convertamus ad supremos Almae Domus rectores: loci Ordinarium, Gubernatorem et Locumtenentem. Ab anno 1749 episcopatum agebat Rev. mus D. Ioannes Antonius Bacchetoni spoletanus, cuius ad romanam Congregationem Lauretanam informationes non raro subscribuntur triennio 1760-1762 Laureti: « Gio. Ant. Vescovo di Loreto e Recanati »: nullum tamen comperimus indicium eiusdem praesentiae in Palatio Apostolico iis diebus, quos ad umbram Sanctuarii vixit S. Alfonsus. Ex adverso existimamus valde probabilem commorationem Rev. mi D. Ioannis Potenziani, qui die 21 maii eiusdem anni 1762 e Laureto rescripsit ad Em. mum card. Torriggiani contra consuetudinem claudendi duabus horis ante meridiem Sacrum Focum (*il Santo Camino*) et contra abusivam confessoriorum absentiam (37). His in gubernio assistebant Ill. mi D. Gaspar Grassella locumtenens (*luogotenente*) et D. Hilarius Borgia praefectus, uterque suum cuique principalem substituens paulo ante S. Alfonsi peregrinationem.

Tandem absolutis pietatis marianae exercitiis S. Alfonsus Reginae Lau-

(35) Ibid., Positiones, anno 1762, Int. 22: 2 aprile 1762. Propaganda Fide. Pretenzioni sul Collegio Illirico. Documenta antiqua minus favorabilia continent accusationes contra regimen praesertim « culinarium », quatenus in cibo et vino ministrando pessumdabatur iustitia distributiva cum detrimento valetudinis inter alumnos. Inter folia quae allegantur a P. Carolo Petrucci exstat praetiosus elenchus alumnorum, quorum primus receptus exhibetur die 7 aprilis an. 1699.

(36) Cfr supra, nota 26 et 27. Ad haec, initio an. 1760 Fr. Mauritius a S. Bernardino-augustinianus discalceatus, commorans in hospicio S. Nicolai, a S. Congregatione Lauretana depoposcerat ut sibi seniori et infirmo daretur exemptio ab horario in sacro faciendo, « essendo bene spesso obbligato a celebrarla dopo il mezzogiorno ». Loci Ordinarius subscribit Laureti die 24 martii an. 1760 informationem negativam atque subiungit: « Questo religioso e altri due dello stesso Ospizio dovrebbero saggiamente gradire la loro collocazione nelli conventi [*extra Lauretum*] e dar luogo che quì possano sostituirsi altri religiosi di spirito e capacità alquanto più sufficiente. Li quali colla maggior attenzione al divino servizio, nell'Orario per la distribuzione delle Messe e nell'assistenza al confessionario la sola mattina, compensino l'esenzone che godono dal coro e dagl'altri pesi della religione, alli quali altrove soggiaciono. Giacché negl'Ospizj di Loreto non sembra possano introdursi dispense e giubilazioni, sì perché il servizio del Santuario non peggiori, sì perché non si accresca l'oziosità, che pur troppo fa che alcuni gradiscano d'esser collocati in questi Ospizj e pongano impegni per non esserne rimossi ». - Ibidem, Positiones, anno 1760, Int. 18.

(37) « Essendo cosa veramente disdicevole che in questa Chiesa, che è l'unica in questa città, due ore prima del mezzogiorno non solo si chiuda il Santo Camino, ma non sia più alcun confessore ». - Ibidem, Positiones, anno 1762, Int. 32.

retanae vale filiale dixit atque incessit reditus via, qua — dum moenia Spoleti circumibat — cumulatus fertur honoribus ab illius episcopo Rev.mo Iacobo Vincentio Acqua seu ab Acqua. Insidet namque urbs Spoleti rupi editae: quare simul atque loci Ordinarius rescivit electum Praesulem Sanctagathensem pernoctaturum esse extra moenia in plano suburbio, ipsum precatus est ut superius conscenderet ac secum in palatio requiesceret, colloquia miscendo de argumentis spiritualibus ac pastoralibus. Quod autem Rev.mus Acqua mente et corde reficeretur ex S. Alfonsi cohortationibus, prout a coaevis adseritur, id adiudicandum est singulari vitae curriculum illius Praelati, qui iuxta modum loquendi illius aetatis dicebatur « creatura » Em.mi card. Marcelli Crescenzi: hunc enim S. Rotae auditorem ille adiuverat in studiis, eundem mox Nuntium in Gallia sequutus erat quasi auditor et internuntius, eidem postea archiepiscopo et legato Ferrariensi inservierat tanquam Vicarius Generalis, postquam ab illius manibus an. 1752, iam iam sexagenarius, receperat sacerdotalem dignitatem, cui adiuncta est post septennium plenitudo episcopalis et cura dioecesis Spoletanae (38). Probabiliter ob hanc tardam experientiam pastorem sese coram S. Alfonso declaravit imparem ad fidelium et monialium numerosum gregem (39) in Christo regendum: idcirco grato animo excepit peregrini Praesulis consilia et practica remedia: quae afflante B.V.M. illi confirmavit paucis post mensibus Rev.mus Bacchetoni antistes Lauretanus, in suam civitatem natalem adveniens pro feriis autumnalibus (40).

3. - *Uterior S. Alfonsi memoria de Alma Domo Lauretana*

Interea S. Alfonsus, iter suum non absque vitae discrimine (41) prosequutus, in Urbem aeternam gaudens reverterat die 8 mensis maii hora vespertina, qua Clemens XIII in palatium Quirinalis ex Civitavecchia similiter redux accingebatur ad curas supremi Pastoris intensius amplectendas. Suas quoque S. Alfonsus assumpsit, animo posthac roboratus ex impressionibus in Alma Domo habitis, biographo coaevo testificante: « Se col corpo partì Alfonso dalla Santa Casa, ci lasciò il cuore ». Ex hoc cordis fonte manarunt deinceps colloquia familiaria, quibus ille revixit dies animaeque effusiones peregrinationis Lauretanae. Quin etiam: non desunt eiusdem scripta posteriora, quibus suo calamo adhaeret ligamen cum hoc titulo mariano: externum

(38) Arch. Vaticano. Proc. Datariae, an. 1759, v. 136, f. 384-410: Eccl^a Spoletan.

(39) P. Tannoia ipsum inducit sese cum S. Alfonso lamentantem de utraque imparitate. - Praecitatus Processus Datariae adserit summam: « In città, oltre la cattedrale, vi sono 11 chiese parrocchiali, 13 conventi di regolari, 12 di monache. Il giro della diocesi è assai grande ed abbraccia molti luoghi; li più popolati sono Norcia, Spello, Cascia ed altri ».

(40) Die 9 octobris eiusdem anni subsignat Spoleti responsum Em.mis cardinalibus romanis datum « circa la dissolutezza di alcuni religiosi Minori Osservanti stanziati in Loreto », quorum a civitate discessum intimaverat Superiori Provinciali. - Ibidem, Positiones, an. 1762, Int. 74.

(41) Vitae periculum subiit dum traiecit flumen Nera, recenti pluvia tumefactum, quem P. Tannoia vocat « il fiume Tarni » [sic], quia lambit oppidi Narni moenia.

tamen ligamen ac prorsus expers cuiusvis allusionis ad hanc peregrinationem, etsi in lucem eduntur scripta intus palatium episcopale exarata.

1. - Primum tenet locum novendialis meditationum ante festum Purificationis B.M.V., quae anno 1766 prodiit inserta in opere: *Via della Salute* (pars II). Agitur de brevi commentario invocationum Litaniae Lauretanae, quarum tres tituli singulis diebus proponuntur eo devotionis aestu atque styli simplicitate, quae a S. Alfonso mariali Doctore indivulsa manent. Sed in cassum inter suas considerationes quaeres vestigia «subconscientis» humani, promentis foras impressiones nondum deletas peregrinationis lauretanae.

2. - Huc etiam confert concio, cui titulus: *Sermone nella festa di Maria Annunziata*, minus consentaneae editus anno 1771 inter suas conciones: *Sermoni compendiatii*. Agitur valde probabiliter de concione occasionali habita S. Agathae aut Argentii (Arienzo), ubi sub invocatione SS. mae Annuntiationis florebant ecclesiae atque associationes. Si quae Sanctuarii Lauretani memoria forse occurrit oratori, ceteroquin mysterio diei connaturalis, hanc ipse fugavit dum prelo mandavit hoc suae dissertationis compendium.

3. - Quae sane praeteritio nos magis adhuc miratur in quodam opusculo sub finem episcopatus concinnato atque an. 1775 adnexo duobus tomis operis: *Condotta ammirabile della divina Provvidenza nel salvar l'uomo per mezzo di Gesù Cristo*. Opusculum inscribitur: *Breve Risposta alla stravagante riforma intentata dall'abate Rolli, contraria alla pietà verso la divina Madre*. Abbas iste D. Leoluca Rolli, e Calabria ortus, in lucem prompsit *Dissertationem (Novello Progetto o sia Dissertazione)*, in qua — tractaturus de litanii lauretanis ac de aliis precibus marialibus — praeseminat tepida verba circa translationem Almae Domus lauretanae historicam ac circa plures marianae pietatis manifestationes, non semel etiam a Ludovico Muratori diversimode obiurgatas (42).

Cerneret porro S. Alfonsus, iam iam octogenarium, insurgentem adversus abbatem Rolli cum opusculo praefato: *Breve Risposta*, ac prae primis arguentem super veritate miraculosae translationis Almae Domus. Nihilominus, pro hodierna nostra communicatione, opus est sublineare defensionem suam anniti aliorum auctoritati, nullo modo experientiae propriae, quae solummodo invocatur ad praemittendas rationes motivas suae confutationis: «per onore di essa B. Vergine e per l'affetto e devozione speciale che sin da fanciullo le professo». Erga eximium Lud. Muratori palam exprimit et

(42) Cfr D. TACCONI-GALLUCCI, *Monografia di Storia Calabria Ecclesiastica*, Reggio Calabria 1900, 287, 289. Hoc auctore teste, contra abbatem Rolli scripsit Dom. Crocete de Polistena O. Pr.: *Riflessioni cristiane*, 1773; opus sane repertu difficile in publicis bibliothecis. - Ex parte sua fatetur S. Alfonsus se usum fuisse opere Ioann. I. Cardoni minimi, cuius titulus incipit similiter: *Riflessioni sopra il Novello Progetto...* di D. Leoluca Rolli, Napoli 1775. - Manet dubium utrum Leoluca iste sit idem ac abbas Caelestinus Rollo, iansenista aut philoiansenista, qui an. 1750 premebat Rev. dum Ioannem Bottari, Romae iansenistarum patronum, ut sibi per card. Spinelli procuraret mitram episcopalem. - Biblioteca Corsiniana, 32. E. 16: Lettere dell'abate Celestino Rollo a Mgr. Gio. Bottari. f. 167: Lecce 9 genn^o 1750.

admirationem et censuram (43): hanc vero acriorem protulisset, si ad aures suas pervenisset vera sententia muratoriana de Almae Domus translatione (44).

Concludimus proinde excursionem Lauretanam fuisse pro S. Alfonso dulcissimam parentesim, qua absoluta sese armavit viriliter ad arduas Pastoris Sanctagathensis obligationes suscipiendas prope SS. Apostolorum sepulchrum ac sub B.M.V. indeficiens praesidium.

(43) Non semel reportatum fuit S. Alfonsi aequum iudicium: « Ludovico Muratori, ch'io ho sempre venerato, egli è stato un uomo celebre presso tutta l'Europa, come apparisce dalla sua bella vita dottamente scritta dal suo nipote, ma verso la Madre di Dio in più luoghi delle sue opere..., non ha mostrata tutta quella pietà che conveniva al suo spirito di dimostrare ». - *Breve Risposta*, ed. critica, Roma 1937, 50r. In Appendice operis: *Le Glorie di Maria*, II.

(44) Ipsemet a S. Alfonso laudatus nepos Ludovici Muratori, id est, Ioannes Franciscus Soli, communicat die 12 iunii an. 1764 Rev.do Ioanni Bottari, iansenismi romani fautori, quod non audet publicare avunculi sui epistolam ac dissertationem super Translatione Almae Domus lauretanae: « Non ho il coraggio di pubblicare [*epistolam*] e né meno la Dissertazione sopra il medesimo punto, ch'egli compose di poi, affinché i suoi nemici non abbiano da dire, come han fatto, ch'egli era nemico della divozione della Vergine ». - Biblioteca Corsiniana. Cod. 32. G. 9. Lettere autografe del prevosto Lud. Ant. Muratori e Gianfrancesco suo nipote a Mgr. Gio. Bottari, f. 18v.

Addendum ad notam 3r. - Eadem mensis novembris hebdomada contigerat inhumana ac proditrix expulsio Societatis Iesu ex ditione neapolitana post machinationes marchionis Tanucci, cuius perfidia effunditur in suis ad Hispaniae regem Carolum insinuationibus contra P.em Cardell: « Napoli 9 giugno 1767... Quì [*continua a*] vedersi il gesuita Cardell, non meno intrigante di tutti li suoi compagni, servito dalla carrozza del Re [*Ferdinando*]. L'ho detto alla M.S. - Discorrendosi per una parta si è considerata l'irregolarità, per l'altra si è riflettuto che volendosi o prima o poi cacciar li gesuiti converrà dissimulare fino all'ultimo momento. Il Re sta sospeso ». - Item: « Napoli 21 luglio 1767. Ho detta al Re la severissima risposta di V.M. non dovendosi fare alcuna mutazione circa la carrozza del P. Cardell per la regola di non far cosa che ponga li gesuiti in maggior sospetto, finché non si venga ad una risoluzione generale e all'esecuzione ». Arch. di Stato. Copia-lettere del Tanucci, l. cit., v. 23, f. 69, 119.